# DISSERTATIO
## INAUGURALIS MEDICA
## DE
# ARTHRITIDE,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

**PRAESIDIS ET DIRECTORIS,**

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

pro

Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea

RITE OBTINENDA

in celeberrima

ACADEMIA JOSEPHINA,

publicae disquisitioni submittit

***Antonius Pircher,***

Tyrolensis Brixinensis.

---

*In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Junii anni* 1843.

**Vindobonae.**

Typis Caroli Ueberreuter.

Besonders in chronischen Krankheiten gewöhne dir Geduld an, und wisse die Zeit abzuwarten.

Hufeland.

FAUTORIBUS SUIS.

## Nomen et definitio.

Arthritis, Latinis: malum articulare, morbus palatii, morbus dominorum, morbus tartareus; Germanis: Gicht, Gelenkkrankheit, Gliederweh; Gallis: Goutte; Anglis: Gout; Italis: Gotta, derivandum est a vocabulo graeco 'αρθρον, articulus, et significat secundum etymologiam inflammationem articulorum. Haec autem inflammatio nonnisi unum pathognomonicum Arthritidis symptoma sistit; hinc omnibus fere medicis Arthritis est morbus universalis et specificus, ex manifesta organorum vitae plasticae prospicientium, praeprimis hepatis aliorumque digerentium affectione exortus, cum se- et excretionibus quantitate et qualitate peccantibus, uti insufficiente bilis morbosae auctae et vitiatae excretione, urinarum salibus phosphoricis et acido orbatarum secretione, et transpiratio cutanea justo parciore; ad altiorem evectus gradum febri insimul specifica arthritica, phlogosi articulorum valde dolorifica, praecipue extremorum, et nisu in secretiones humorum morbosas, phosphate calcis impregnatas, stipatus. Secretiones quantitate jam, magis adhuc qualitate turbantur, et secreta minori copia evehuntur, quemadmodum urina, quae non solum minori copia excernitur, sed et sales illius phosphorici ad ejiciendum destinati retinentur, vel saltem ab alio colatorio imperfecte evacuantur, aut vasis resorbentibus alius cujusdam organi, imprimis ligamentorum articulorum, vaginarum tendinumque incongrue et insufficienter excernuntur.

Ast haec primaria et essentialis Arthritidis forma multifario modo saepe obfuscatur et modificatur, ita ut symptomata recensita essentialia imperfecte tantum

adpareant aut plane deficiant, morbusque sub aliena prorsus forma compareat. Vix ullus reperitur morbus chronicus, cujus larvam Arthritis induere nequeat, hinc merito pathologicus Proteus nuncupatur, multisque in morbis gravibus et complicatis chronicis qua causa inculpanda venit.

## Divisio.

Arthritis pro varia ratione vario quoque dividitur modo:

Ratione decursus in *acutam* et *chronicam*;
" originis in *haereditariam* et *acquisitam*;
" typi in *regularem* seu *perfectam*, et *irregularem*, *imperfectam* seu *anomalam*;
" formae in *manifestam* et *occultam*, seu *larvatam*;
" complicationis in *simplicem* et *complicatam*;
" naturae in *genuinam* et *spuriam*;
" sedis in *Podagram*, *Chiragram*, *Cephalagram*, *Omagram*, *Gonagram*, *Lumbagram*, *Dentagram* et *Ischiagram*.

Arthritis irregularis iterum dividitur in: *Arthrit. atonicam*, *vagam*, *retrogradam* seu *retropulsam*.

### A. Diagnosis Arthritidis acutae regularis.

Diagnosis Arthritidis regularis seu perfectae utpote prototypi cunctarum morbi hujus formarum duobus construitur momentis, *prodromis* nempe et *insultibus*, seu *paroxysmis arthriticis*.

#### I. Prodroma.

Prodroma tanquam signa opportunitatis in Arthritidem fere semper per septimanas, menses, imo an-

nos obscurius manifestiusve praecedunt, atque partim ad laesam digestionem et reproductionem, partim ad jam hic incipientem passionem illorum organorum, in quibus serius durante morbo affectio topica sedem suam figit, partim, quae ad laesam irritabilitatem organismi totius referri possunt.

a) Symptomata laesae digestionis et assimilationis adparent: appetitus prostratus, aut hoc illaeso digestio tamen labefactata; sapor alienatus, amaricans, mucidus aut acidus, lingua obducta; querelam movent, quibus malum imminet, de pressione, imo dolore in scrobiculo cordis, cardialgia, de plenitudinis et ponderis sensu in toto epigastrii ambitu; oboriuntur frequentes ructus ingesta redolentes acidi, amari, expansio ventriculi praesertim a ciborum acidorum aut flatulentiae faventium usu, nausea imo vomitus; tormina in abdomine tumidulo, borborigmi; polycholia cum statu pituitoso; lotium est turbidum, mucosum, minori semper copia excernitur, odoremque spargit, quo propinquior paroxysmus, eo magis acidum, hypostasin eam sanorum semper superantem deponens; alvus semper irregularis, jam laxa, jam adstricta, rarius diarrhoica vel mucosa. Morbo hoc mulctati frequentibus plerumque blennorrhoeis, praecipue catarrhis chronicis organorum respirationis, vesicae urinariae et haemorrhoidibus mucosis jam per longius tempus ante Arthritidis eruptionem laborare solent.

b) Et topica affectio sese jam prodit signis peculiaribus in illis partibus, quas Arthritis citius ocyusve occupat. Spectat huc praecipue: sensus frigoris in parte adfecta, acsi vento perflaretur, vel acsi guttis aquae frigidae conspergeretur; in aliis casibus accedit stupor cum gravitate extremitatum adficiendarum, quibus nonnunquam tremores adsociantur. Articuli multum pruriunt et dolent, qui dolor spasmis saepe intenditur, et eo usque perdurat, donec paroxysmus ipse intrave-

rit, sub quo, nisi penitus consopiatur, tamen mitigatur.

c) Cum Arthritis morbus sit gravis et in imis organismi radices suas figat, nec irritabilitati in primordio suae originis parcit. Animus aegrotantis invenitur dejectus, variabilis; aegri anxietatem produnt periodice recurrentem, nec non proclivitatem in occupationes consuetas majorem, hinc literati perspicaciores, Veneris cultores salaciores, in sexu virili hypochondriaseos gravamina manifestius evolvuntur, in sequiori leviores gravioresve hysteriae insultus; delassati et in somnum proclives hujus beneficio non reficiuntur. Nonnunquam autem, praecipue paroxismo jam instante, insolita gaudent euphoria, hilaritate eximia somnoque laudabili; ast haec scena intra paucas abhinc noctes mutatur.

Pulsus plerumque tangitur frequentior, irregularis et spasticus.

Minus constantes sunt ante eruptionem hujus morbi: intumescentia venarum, ischuria, repentina remissio vel plenaria abolitio omnium memoratorum prodromorum, et adhuc rariores sunt illi casus, in quibus Arthritis derepente ac sine prodromis in lucem prodit.

Phaenomena haec praecursoria digestionem vitiatam, bilis secretionem auctam, urinarum vero nimis parcam, segnem sanguinis motum in abdomine congestionesque in systemate venae portarum testantur; cum hypochondriaseos et haemorrhoidum fluentium praecursoribus fere conveniunt, statumque patefaciunt, nomine *Arthritidis nondum evolutae*, *nondum formatae* insignitum.

Haec prodroma autem non semper omnia, et eodem adsunt tempore, plerumque tantum singula eorum, et inter illa frequentissime ea, quae ex digestione laesa, et coenesthesi alterata originem trahunt.

Prodroma haec a multis salutantur *Arthritis imperfecta*, *atonica*, quia pathognomonici insultus hujus morbi nondum praesto sunt, et iteratis vicibus recurrere possunt, antequam Arthritis ipsa adpareat.

## II. Paroxysmus.

Prodroma recensita sequitur Arthritis ipsa, quam penitius investigantes adfectionem topicam, et nominatim statum topico-inflammatorium in articulis, et febrim ab hac adfectione topica dependentem, illamque concomitantem designamus.

I. Qua symptomata topicae adfectionis adparent nota signa inflammationis:

*Dolor*, qui plerumque repente post mesonyctium intrat, et primo comuniter pollicem pedis, et quidem ejus cum osse metatarsi juncturam, vel alium pedis digitum, vel calcem, malleolum alterutrum, vel et digitum manus alterutrumve brachium pedemque occupat. Ab initio consuetim est mitis, mox vero evadit rodens, urens, terebrans, lancinans, fereque intollerabilis, cum nonnunquam adeo adaugeatur, ut partes adfectae nec premi, nec moveri possint, imo ne tegumenta quidem tollerare valeant. Hic dolor exacerbatur et remittit quidem regulariter cum febri arthritica concomitante, ast nequaquam durante paroxismo plane cessat; nam licet aegri diem quietius, quandoque sine febri transigant, tamen dolor mitigatus quidem perstat, et nocte sequenti cum febri recrudescit, et nonnisi sub crisi plenaria cessat.

*Rubor* adfectorum membrorum sequitur dolorem per longius jam tempus durantem, et ad certum gradum regressum; colorem exhibet erysipelati analogum, differt tamen ab hoc per ruborem dilutiorem, splendorem majorem, tumorem minorem exacte circumscriptum, dolores profundos, dirissimos.

*Aestum* aegrotantes nonnunquam jam ante evolutam Arthritidem accusant, extrinsecus vero nonnisi rubedine intrante animadverti potest.

*Tumor* modo minoris, modo majoris conspicitur gradus, et nonnunquam ad tantum incredibile volumen partis adfectae adaugetur, ut membrum rigidum, tensum, durum et omnis functionis expers inveniatur. Aegrotus nec pedibus insistere, nec manibus aliquid capere, nec semet vertere, verbo, nullum motum exercere valet, quin doloribus crucietur vehementissimis, et si extremitates tum superiores tum inferiores simul morbo arthritico plectuntur, tunc plane immobilis lecto incumbit.

II. Qua symptoma universalis adfectionis, totum organismum de processu arthritico participare testans, adparet:

*Febris*, quae eo tendit, productum pathicum organismo inimicum eliminare; hinc haec febris qua conamen naturae salutiferum, qua febris depuratoria consideranda venit. Nexum fovet causalem haec febris arthritica cum topica articulorum inflammatione, hinc quo magis evoluta haec, eo vehementior illa, et nonnisi existentibus jam topicae adfectionis symptomatibus exoritur. Quare semper adfectioni topicae analogum ostendit characterem, id est erethicum, qui autem ad synocham veram evehi, vel econtra ad torporem detrudi potest. Caeterum topica inflammatio et cum hac febris gradus dependet ab aetate, individualitate et morbi duratione; nam in individuis junioribus, robustis, plethoricis, morboque nondum protracto febris facile adeo intenditur, ut synocham veram exhibeat, dum in hominibus aetate jam provectis, debilibus aut diuturna morbi duratione exhaustis ad torporem accedere amat. Incipit autem febris arthritica cum dolore vehementiore, horripilatione, rarius frigore intenso; dein sequitur aestus, qui super totum corpus aequabiliter expanditur; pulsus tangitur primo celer, durus, spasticus, serius

magis mollis, plenus, expansus. Febris semper remittens, et exacerbationes unacum dolore vesperas versus, consuetim post mesonyctium intrant. Cum paroxysmis adaugetur etiam aegrorum sensibilitas, levis jam strepitus, lux modica illis molestias causat, omnis motus, quilibet attactus dolores majores provocat. Se- et excretiones illis durantibus plus minusve silent, cutis est sicca, alvus obstipa, urina parca, obscura, nonnunquam acidum redolens, seriori decursu saepe turbida et nubeculosa. Horis matutinis tandem remissio intrat; dolor minuitur, pulsus fit tardior molliorque, et somnus profundus salutat miserum, tumor autem partis inflammatae et rubor perstant.

Paroxysmus talis regulariter 8 usque 12 horas et ultra durat, primis praecipue morbi diebus, aut dum Arthritis individua robusta invasit, vel febris valida fuit. In Arthritide acuta plures horum paroxysmorum cito sese excipiunt, et tunc morbus fine secundae aut tertiae septimanae decernitur. Febris tunc initio synochae magis magisque adpropinquatur, fit postea debilior, et tandem plane remittit. Quo proprior itaque synochae, quo magis exculta, quo vehementior dolor, quo junior et robustior aeger, eo celerior morbi decursus esse solet, sed et eo facilius transmigratio inflammationis ex uno articulo in alterum locum habet, sicque *Arthritidem vagam* ostendit cum metastasibus tunc valde timendis ad organa interna; vice versa, quo mitior febris, quo minor tumor, rubor et dolor, eo facilius in *Arthritidem chronicam*, *fixam*, et alios morbos posthumos abire solet. Normali morbi decursu, febri remittente, locali adfectione sensim sensimque decrescente crises tandem intrant, quae modo per sudores universales acidum redolentes, modo per urinam turbidam larga copia excretam sese annunciant. Lotium hoc quieti commissum mox albicans mox rubrum est, sedimentumque suppeditat sabulosum. Non raro his

adjungitur desquamatio partis inflammatae, quae tamen nonnisi crisis localis consideranda. Tali modo totus insultus arthriticus absolutus est, et nisi datis ansis citius sollicitetur, primum omni altero, dein omni anno tempore vernali, serius bis per annum, vere nimirum et autumno, peccantibus autem regimine, diaeta, vitae genere luxurioso, inordinato, tempestate multum variabili saepius quoque per annum redit, diutiusque durat, ita ut aegro vix per aestatem induciae concedantur.

## *B*) Diagnosis Arthritidis irregularis et larvatae.

Premitur haec multis difficultatibus, cum varia ratione exoriri possit, proinde etiam symptomata varia in lucem prodeant. Generatur tamen in genere duplici ratione: nempe *aut* repellitur Arthritis in partibus externis jam formata ad organa interna, et quidem vel repente praecipue refrigerio, vel successive, *aut* in partibus externis formari inhibetur, materiaque athritica in organis internis retinetur.

Cognoscitur *priori ratione* inducta Arthritidis anomalae forma valida encephali adfectione cum symptomatibus comatosis aut apoplecticis haud raro cito lethalibus, praecipue in senibus; vehementibus inflammationibus pulmonum, cordis, pericardii vasorumque majorum, pleurae, ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, renum, vesicae urinariae, uteri, praecipue in individuis junioribus, et robustis, quae inflammationes hinc inde vehementia et malignitate sua brevi lethales evadunt, vel saltem solertissima etiam sub cura in exitum nituntur infaustum. Hisce morbis Arthritidem repulsam subesse, patet, si insultus arthritici in partibus externis disparuere, morbusque praesens exortus est.

Diagnosis Arthritidis anomalae *posteriori ratione* inductae magis adhuc ardua redditur, cum sub schemate plurimorum diversissimorumque morborum in vis-

ceribus capitis, pectoris, abdominis, cuteque occurrentium adpareat. Frequentissimi tamen sunt: cephalagra quotidie vel alternis diebus vespere aut nocte invadens, vertigo, apoplexia, epilepsia, dolor faciei Fothergillii, ophthalmiae, cataracta, glaucoma, amaurosis; tussis chronica, haemoptoë, pneumonia, pleuritis, phthisis pituitosa, hydrothorax, asthma, angina pectoris Heberdenii; dysorexia et dyspepsia, colica, diarrhoea chronica, gravamina haemorrhoidalia, hypochondria, hysteria, melancholia, metrorrhagia, dysuria, scirrhus uteri, ovariorum, testiculorum; erysipelas chronicum, impetigines chronicae, in specie herpes et scabies. Natura horum morborum arthritica evincitur per dispositionem haereditariam, periodice recurrentes dolores arthriticos fugaces, urinas sedimentosas calcem phosphoricam gerentes, et si morbi status ab anni tempore aërisque vicissitudinibus multum dependet.

## Aetiologia.

Causa Arthritidis proxima in genere quaerenda est in producto specifico, in anomalia functionum systematis venae portarum, turbata digestione alienataque sanguinis mixtione, atque ex hac promanante formatione materiae arthriticae specificae, quae, quum solida ex fluidis formentur, in sequelam hujus organicae alienationis constitutioni arthriticae ansam largitur. Alienata sanguinis mixtio exorta videtur praedominio combustibilium, et inde egressae materiae peccantis, scilicet: azoti, salium phosphoricorum, nitricorum, urinosorum etc.

Uti in quolibet morbo, etiam in Athritide *momenta disponentia* seu *interna*, et *excitantia* seu *externa* consideranda veniunt.

## I. Momenta disponentia.

1. Aetas. Arthritis invadit nonnisi homines provectioris aetatis, nunquam autem adparet ante pubertatem, nec in juventute, nisi rationes mox nominandae agant.

2. Dispositio congenita, haereditaria. Vix alio in morbo tanti valoris est, quam in hoc; parentes Podagra laborantes procreant liberos, qui certos annos assequuti, nonnunquam jam in aetatis flore, eodem plectuntur morbo.

3. Habitus arthriticus morbi evolutioni praecipue favet. Designatur autem hicce constitutione plethorica, robusta, pectore amplo, capite magno, membris torosis, irritabilitate majori, peculiari musculorum forma rotunda, cute aspera, anomaliis in secretionibus, polyblennia. Sic et individua habitu scrophuloso vel rhachitico praedita hujus morbi insidias raro effugiunt.

4. Sexus virilis longe crebrius Arthritide vexatur, quam sexus sequior; nam in feminis plethora per catamenia, lochia, lactationem minuitur. „Mulier non laborat Podagra, nisi ipsi menses defecerint.“ (Hippocr. Aphor. 28—30 Lit. IV.).

5. Temperamentum cholerico-sanguineum regulari Arthritidi magis favet; caetera autem anomalias diligunt.

## II. Momenta excitantia.

1. Omnia, quae digestionem insigniter laedunt, certumque debilitatis gradum in organis digestionis producunt modo jam directo, jam indirecto.

Ad directe debilitantia pertinent: alimenta digestu difficilia, abusus Veneris, coitus immodicus, praematurus, onaniae vitium. Hinc dicit Hippocrates: „Eu-

nuchi non laborant Podagra, et puer non vexatur Arthritide ante Veneris usum.“ (Sect. VI. 28—30).

Ad indirecte debilitantia referuntur: victus nimis largus, necessitatem excedens, multum nutriens, pinguis et conditus, spirituosorum potuum, speciatim vinorum juvenum, acidorum aut acrium haustus nimii, praecipue si tale vitae genus cum otio et excessu in Venere conjungitur. Stomachus stimulantibus adsuetus progrediente semper indiget stimulo, donec tandem ad illum gradum perveniat, ubi nullum amplius augmentum obtinere potest, et debilitas intrat. Licet hi influxus rerum directe et indirecte debilitantium varii esse videantur, eundem tamen ultimum effectum provocant, exhauriunt nempe vim digestricem. Eodem fere modo agunt medicamina, ventriculum et tractum intestinalem multum adficientia, ut purgantia fortiora, drastica, praeprimis illa, quae systema gangliare sollicitant, e. g. Aloë.

2. Quae processum chylificationis mutant, chylumque ita modificant, ut partes combustibiles augeantur, quod praecipue usu carnis et omnibus, quibus processus combustionis in aliis organis impeditur, et prae ceteris ad hepar transfertur, sequitur. Huc referenda sunt: vita nimis sedentaria, praesertim repentinus a vitae genere admodum activo in otiosum transgressus; nimiae corporis facultatumque mentis intensiones, eaeque nocturnae et mox post prandium, praecipue invita Minerva; excretionum variorum, bilis in specie, urinae et transspirationis suppressio vel notabilis restrictio, hinc aër humidus et frigidus, habitaculum udum sole orbatum, mora in regionibus humidis, depressis, paludosis; ira frequens, sed et curae, moeror aliique animi adfectus et pathemata e deprimentium genere. Hinc B o w l e y dicit: „Bacchus est pater, Venus mater, Ira obstetrix Arthritidis.“

3. Rheumatismus antecedens. Experientia nempe

teste individua, quae in juventute crebris rheumatismis, praecipue articulorum acuto, laborarunt, seriori aetate morbo arthritico vexantur.

4. Motus excessivus, cui aeger adsuetus non est, equitatio protracta dependentibus extremitatibus inferioribus, cujus adserti veritatem Scythae podagra laborantes adfirmant.

5. Mechanici quoque influxus dispositione praesente insultum arthriticum provocare valent. Si individuum ad Arthritidem caeterum dispositum, quod vel nullo antea paroxysmo plectebatur, e. g. humi prosternitur, in sequelam hujus mechanicae laesionis oboritur insultus arthriticus, qui autem vix qua talis agnoscitur, cum dolores inde emergentes lapsui adscribantur.

6. Contagium proprium adhaerens materiae transspiratae, sudorique arthriticorum.

## Causa Arthritidis proxima.

Varii auctores variam accusant. Veteres proximam Arthritidis causam posuere in materia quadam propria arthritica, sicut recentiores in materia noxia speciali sanguini inhaerente, quam Aurelius superabundantem chyli partem arbitrabatur, et inde originem Arthritidis ex abundantia nutrimentorum deducebat; Codagnus ex nutrimentis, quae viribus digestionis singulorum non respondent; Desault et Warner ex suppressa cutis functione; Grant et Stoll ex sanguinis, praecipue systematis venae portarum, acrimonia; Stahl et Tiefenbach, quibus Schönlein quoque adnuit, causam quaesiverunt in inflammatione, producta a natura ipsa medicatrice ad tonum phrtium ammissum restituendum; Cullen et Ideler in atonia tractus intestinalis, qua fit, ut acidi phosphorici accumulati, nec nimia terrae calcareae copia justo tardius per urinam excernatur; Sprengel in

dispari virium nervorum distributione, conjuncta cum atonia organorum abdominalium, cum congestionibus in articulos, et suppressa salium phosphoricorum per urinam excretione; Henke in vitio quodam universali systematis reproductivi; sagacissimus Hufeland, qui veritati proxime accedere videtur, causam opinatur proximam in specifica humorum dyscrasia, et abnormitate reproductionis, cujus princeps character nisus in formationem acidi et terrae calcareae phosphoricae ex debilitate digestionis vitiataque chylificatione adparet. Hinc juxta hunc auctorem paroxysmi nil aliud designant, quam conamen naturae, materiam arthriticam ex organismo eliminare.

## Differentiae Arthritidem inter et Rheumatismum.

a. *Quoad naturam.*

Rheumatismus est morbus sui generis, consistens in irritatatione inflammatoria organorum membranaceorum, humores serosos conducentium et excernentium, quae turbata cutis functione, in specie suppressa transpiratione ex refrigerio causatur.

Arthritis vero longe alium sistit morbum.

b. *Quoad Aetiologiam.*

1. Dispositio peculiaris ad Rheumatismum non datur, nisi ad illam cutem teneram, debilem, emollitam, erga aëris vicissitudines nimis sensilem adnumerare velis.

Dispositio ad Arthritidem est propria, consistens in turbis organorum digestionis, in specie hepatis, habitu, plethora abdominali etc.

2. Rheumatismus semper est acquisitus morbus, Arthritis autem haereditate propagatur.

3. Rheumatismus nemini hominum, nulli sexui atque aetati parcit; Arthritis autem aetati magis pro-

vectiori insidiatur, sexuique masculo, rarius feminis, nisi sint viragines vel catameniis destitutae.

4. Rheumatismus semper suppressa cutis transpiratione per refrigerium oritur; haec causa cito agit, citoque Rheumatismus subsequitur. Arthritidis autem causae sunt multiplices, magis pertinaces, diutius durantes pedetentimque agentes; omnes versantur circa chymi- et chylificationem, et arthritidem successive evolvunt.

5. Rheumatismus contagio destituitur; Arthritidem vero quidpiam contagii continere et sudore transplantari posse, observationibus multis comprobatum est.

6. Substratum Rheumatismo largiuntur unicum cutis et membranae serosae; Arthritidi vero omnia organa, quae digestioni et assimilationi inserviunt, licet et cutis suum contribuere possit.

c. *Quoad Symptomatologiam.*

1. Rheumatismus data ansa derepente oritur, nullum habet stadium praeparationis; Arthritidi vero semper quaedam nominatorum prodromorum praecedunt.

2. Insultus arthritici certum typum, consuetim tertianum observant, et post mesonyctium intrare amant, Rheumatismus vero continuus est, nec ullum diei tempus prae alio praediligit.

3. Sedes Arthritidis plerumque in ossium articulis eorumque bursis mucosis; Rheumatismus vero potius partes molliores, musculos et membranas varias occupat.

4. Arthriticis doloribus febris antecedit, et sensim sensimque dolores accedunt; in Rheumatismo repente pars adfecta dolore corripitur, febri subsequa.

5. Dolor in Rheumatismo est lancinans, scindens, pungens, premens, calore lecti crescens, aequaliter divisus; in Arthritide mordens, rodens, ardens, in uno puncto concentratus, et lecti tepore minuitur.

6. Rubor in Rheumatismo levis, superficialis, nonnunquam plane nullus, si adfectio haeret profun-

dis; in Arthritide semper praesto est, erysipelaceo similis, non circumscriptus.

7. Tumor in Rheumatismo nullus aut saltem levis; in Arthritide semper supervenit, et tunc febris et dolores remittunt.

8. In inflammatione rheumatica cutis non desquamatur; in Arthritide furfurum aut squamularum sub forma decidit.

9. In Rheumatismo nullus adest nisus in formandos calculos aut producendas excrescentias osseas, quod in Arthritide saepissime accidit.

10. Sudores in Rheumatismo sunt magis symptomatici, vix levantes, nec acidum redolentes, nec viscidi; in Arthritide sunt revera critici pro parte adfecta, levantes, crassi et acidum redolentes.

11. Rheumatismus ab initio vagus, serius magis uno in loco fixus; Arthritis quo junior, eo magis fixa, quo vetustior, eo magis vaga.

d. *Quoad Prognosin.*

1. Rheumatismus licet dolorificus plus timoris, quam periculi incutit; Arthritis semper est morbus gravis, saepe perniciosus.

2. Rheumatismus exordio facile tolli potest, imo conducit vix erumpentem suffocare; Arthritis semel evoluta, suppressa, magnas et periculosas producit turbas sensim sensimque eradicandas.

3. Juvenes Rheumatismo correpti longam adhuc vivunt vitam; juvenes arthritici vix longaevam attingunt aetatem.

4. Rheumatismus saepe citissime tollitur; Arthritis semper longum et protractum exposcit tractamen.

## Prognosis.

Arthritis in genere semper est morbus difficilis sanatu, dolorificus, et non raro ipsi vitae insidiosus.

Vix enim datur morbus, qui illo pertinacius organismo inhaereat, difficiliusque exstingui possit, nisi noxiae illam provocantes ex integro deleantur, paroxysmi in corpore robusto fortique occurrant, regulariter decurrant, crisesque faciant citas et perfectas, et tunc quoque raro nonnisi radicitus sanatur.

Nimis vero perniciosa redditur ob facile insequentem recidivam, metastasin ad partes internas, atque ob morbos posthumos.

Quamquam ob varietatem symptomatum morbosarum vix unicus datur morbus, qui non arthriticam induere possit naturam, tamen ex innumeris ab Arthritide provocatis malis sequentia adducere vellem:

Adfectiones partium externarum sic dictas rheumatico-arthriticas, praecipue in partibus membranosis, uti: Ischiadem nervosam Cotuni, Prosopalgiam, Odontalgiam arthriticam, Cephalagram, Hemicraniam; inflammationes acutas partium internarum et externarum, uti: Erysipelas, Anginam membranaceam, Ophthalmiam arthriticam, Gastritidem acutam; blennorrhoeas, ut: Medorrhoeam et fluorem album arthriticum, Blennorrhoeam ventriculi, tubi intestinalis, vesicae urinariae; haematoses, ut: Epistaxin, Haemoptoën, Haematuriam, Metrorrhagiam; ulcera ubicunque, lubentissime tamen in articulorum affinitate; febres intermittentes et continuas; impetigines, uti: Scabiem, Herpetem; adfectiones ventriculi et tubi intestinalis, ut Dyspepsiam, Vomitum chronicum, Pyrosin, Bulimiam, Tormina, Colicam, Diarrhoeam, Dysenteriam; morbos thoracis, ut: Dyspnoeam, Asthma, Phthisin; nevroses varii generis, praesertim Hypochondriam et Hysteriam.

Varia haec mala varia iterum ratione modificant prognosin.

*Specialis* depromitur prognosis ex modo, ratione et evolutione Arthritidis, ex morbi causa, duratione,

sede, forma, complicatione cum morbis aliis, nec non ex aegri individualitate et vitae ratione, atque tractamine hucusque instituto.

Infaustior prognosis in Arthritide ex vita lasciva, quam ex alia causa exculta; febres arthriticae et paroxysmi rapide decurrentes majores vitae insidias struunt, quam chronice decurrentes; ex his enim lubentius metastates oriuntur, sub quibus haud unquam fausta, et eo infaustior prognosis, quo nobilius organon correptum.

Quae originem debet dispositioni haereditariae, atque ex noxis supra memoratis sensim sensimque excultae, tristem agnoscit prognosin, et eo magis, quo minus illae ab aegro aut medico arcendae sunt, e. g. endemicae.

Quo diutius duraverat, quo magis inveterata, quo pertinacius corpori inhaeret, et quo plures partes, pluraque organa sunt detenta, eo difficilior sanatu.

Acuta, regularis, plerumque arthrophlogosibus conjuncta faustior ob crises perfectas, licet lubenter recedat, quod minus quidem sub chronica, irregulari timendum, quae vero facile in organicas abit destructiones.

Arthritis vaga ob recessum ad partes internas perniciosa, sic et anomala; retrogressa saepe subito mortem infert.

Impetigines quoque, ulcera, blennorrhoeae etc. ex Arthritide orta pertinacius decurrunt, quam ex alia causa.

Respicientes formam et sedem pauciores agnoscit difficultates Podagra, plures jam Gonagra, Chiragra, Omagra, maximas vero Ischiagra, Rhachiagra et Lumbago arthritica.

Prognosis valde turbatur complicatione cum aliis morbis, ut: Scrophulosi, Syphilide, Scorbuto, Scirrho

habitu apoplectico, phthisico etc. Sub tali enim complicatione directam therapiam ne unquam instituas; navigamus enim Scyllam inter et Charybdin, unum malum eradicare studemus, alterum exasperamus.

In junioribus individuis facilius sanatur, quam in senioribus, ob fortiorem naturae medicatricis reactionem. Intra $30^{mum}$ et $45^{tum}$ sub Podagrae forma adparens Arthritis insanabilis quidem habetur ob metamorphoses aetate provectiore obvenientes; nihilominus tamen tales aegri regimine stricto observato haud infelici longaque fruuntur vita.

Constitutio plethorica et sexus virilis evolutioni Arthritidis favet magis; feminae autem vix plectuntur hoc morbo, nisi in annis versentur climactericis.

Aestate et sub aëre sicco, calido faustior est prognosis, quam vere et auctumno sub humida, frigida, variabili tempestate.

Brevioris durationis est Arthritis in sanguineis, in cholericis vero magis ad metastases, praecipue ad cerebrum et medullam spinalem prona.

Experientia tandem docet, vehementissimas et periculosissimas Arthritidis formas saepe feliciter sanari.

## Terminationes.

Arthritis terminatur, uti quilibet morbus, vel in sanitatem, vel alios morbos, vel mortem.

*In sanitatem transit:* brevi duratione, exigua vehementia, in junioribus et robustis individuis, nullis adhuc exortis productis morbosis, regimine stricto, et therapia congrua, crisibus perfectis, ut: larga cutis transpiratione, lotii adaucta excretione copioso cum sedimento, in quo calcis phosphoricae magna reperitur

quantitas, fluidis alvi depositionibus unacum partis adfectae desquamatione.

*In alios morbos*: sub decursu magis chronico, majori vehementia, in senioribus et debilitatis individuis, incongruo regimine et perversa therapia. Tales morbi secundarii sunt: inflammationes post suppressos singulos paroxysmos, ut: cerebri, medullae spinalis, pulmonum, cordis, intestinorum abdominalium, renum, vesicae urinariae, uteri; enteritis, dysenteria, colica, phthisis, hydropes, consuetim ascites; nevroses, ut: trismus, tetanus, epilepsia, convulsiones, ischias, cardialgia, surditas, amaurosis; vesaniae, ut: moria, mania, melancholia, fatuitas etc.

*In mortem*, quae vario modo variis sub formis intrat, et quidem: a) per febrem vehementem subsequa virium vitalium exhaustione, ergo per paralysin systematis vasorum; b) per suppressionem paroxysmorum podagraicorum in articulis et transitum ad organa interna; c) per secretionem concrementorum arthriticorum in organis ad vitam absolute necessariis, quo functiones eorum ita impediuntur, ut vita ulterius persistere nequeat; d) per copiosum fluxum cruentum in haemorrhoidariis, praecipue si in organis internis contingit; e) per successivam virium vitalium exhaustionem; f) per carcinoma intestini recti, vesicae urinariae, uteri etc.

## Therapia.

Cura Arthritidis duplex est, scilicet *morbi totius cum symptomatibus*, et *singulorum insultuum*; hinc indicationes sequentes adimplendae veniunt:

1. Morbum praecavere;
2. Productum morbosum neutralisare et eliminare;

3. Paroxysmos singulos tanquam crises naturales tractare;
4. Complicationes rite aestimare;
5. Inducta reconvalescentia partes roborare.

I. Optime morbus praecavetur, evitando causas supra enumeratas proximas et remotas, hinc regimine stricto et diaeta, quod illi inprimis observent, qui a parentibus arthriticis geniti fomitem perniciosum in organismo jam ferunt, data ansa erumpentem. Complectit vero regimen non solum cibum et potum, sed aërem quoque, motum et quietem, somnum et vigilias, retenta et excreta, adplicata et mixta.

Evitentur praecipue refrigerium pedum, humidaque tempestas, quae regionibus ad litora maris sitis, paludibus obsessis, aquis stagnantibus repletis propria esse solet. De cibo, potu, vitaeque conditione jam in Aetiologia fusius tractavimus; fugiant hoc intuitu ad Arthritidem proclivia individua spirituosa, cibos conditos, artificiales, pingues, oleosos, mucilaginosos, salinos, farinosos, carnem fumo conditam, indigestibilem; vitam sedentariam, studia in noctem protracta, excessum in Venere etc.

Materies a natura ad excretionem destinata ne retineatur justo longius; subito ne supprimantur sudores; ulcera inveterata ne cito cicatrisentur, habitualesque impetigines ne sanentur.

Quae valeant de perverso medicamentorum usu, stimulantium, narcoticorum, praecipue vero oxydorum metallicorum, ut plumbi, mercurii etc., facile perspicimus, si consideramus sequelas exinde emanantes.

II. Secundae indicationi ut satisfaciamus, se- et excretiones, nec non digestionis et assimilationis

opus rite aestimemus oportet, quo fit, ut crasis inepta in succum et sanguinem translata eliminetur, et metastasis ad articulos praecaveatur, vel saltem diathesis metastatica minuatur.

Viae eliminationi maxime idoneae sunt cutis et viae urinales, in quas omnia fere Arthritidi specifice opposita medicamina ex serie diaphoreticorum et diureticorum desumta effectus suos exserunt salutares. Omnia vero porrecta remedia ab assimilationis organis facile diuque perferri, atque successive praepeditis se- et excretionibus, sanguinis et in hujus sequelam totius corporis qualitatem alteratam emendare debent. In longum protractus usus diaphoreticorum, diureticorum et purgantium ab initio quidem fausto successu adhibitorum, serius pejorem reddit morbum. Idiosyncrasiae quoque sunt respiciendae, hinc forma eligenda, quam aeger praediligit.

His praemissis liceat nonnulla pharmaca in Arthritide valdopere celebrata enumerare:

a) Guajacum. Adaucta systematis sanguiferi et lymphatici actione se- et excretiones per cutem, per urinam et alvum promovet simulque alterat; optime laxis et phlegmaticis individuis, nunquam sub statu febrili porrigitur sequenti sub forma:

Rp. Resin. Guajac.
Gummi arab.
āā *drachm. duas*
Aq. destill.
*unc. sex*
Fiat emuls., adde
Nitri puri
*drachmam*
Syrup. emuls.
*unciam*
Vini antimon.
*drachmam*
M. D. S. Alle 2 Stunden 1 Esslöffel.

b) Antimonialia cutis transpirationem adaugent, se- et excretiones tubi alimentaris promovènt, et tali ratione morbosam sanguinis diathesin emendant; ast facillime organa assimilationis debilitant, quare nonnisi in valida digestione, robustis individuis diutius usurpata minimisque dosibus porrecta salutares exserunt virtutes. Pro diversa morbi forma diversa quoque indicantur praeparata. 1. Antimonium crudum convenit aegris cute inerti, frigida praeditis, humorum serosorum et muci abundantia laborantibus. 2. Sulphur auratum Antimonii adhibetur, ubi crises per sudores et expectorationem promovendae sunt. 3. Pulvis alterans Plumeri, ubi glandularum simul adsunt obstructiones.

c) Mercurialia. Tutius Sublimato (exceptis casibus inveteratissimis) Calomel agit; sed sub usu strenuum regimen diaeteticum observandum.

d) Purgantia praeprimis in congestionibus, stasibus, infarctibus, plethora abdominali, et complicatione cum haemorrhoidibus salutifera sunt.

e) Sulfureta agunt diaphoretice cutis metamorphosin propellendo et secretiones omnes cavi abdominis augendo et alterando; hinc optimo successu plurimis copulantur remediis, sed stases praesentes prius solvantur. Ne autem porrigantur erethicis et habitu sicco praeditis.

f) Alcalia et Sapones solvunt stases, propellunt infarctus, dissolvunt obstructiones, et hinc alteratione organorum secretoriorum agunt. Noxius vero indigestioni influxus timendus est; ideoque non diutius, nec prostrata vi digestrice adhibeantur. Optime copulantur cum amaricantibus, e. g.

Rp. Natr. carbon.
*drachmam*
Extr. Absinth.
*drachmas duas*
Aq. Menth. pip.
*unc. quatuor*
Syr. cort. Aurant.
*unciam*
Tinct. cort. Aurant.
*drachmas duas.*
M. D. S. Täglich 4 Mahl 1 Esslöffel.

g) Roborantia amissum organorum abdominalium tonum restituunt, atoniam lymphaticorum vasorum tollunt, laxitatem pellunt, et partes roborant. Huc spectant: Extr. Tarax., Fumar., Saponar., Centaurium minus, Trifol. fibr., Quassia, Cascarilla, Tormentilla, Colombo, Cortex peruv., diversa Ferri praeparata.

h) Stimulantia. Volatilia viribus debilitatis antecedant tonicis, quibuscum saepe conjunguntur, quo facilius digerantur. Horum omnium princeps est Calamus aromaticus; grate enim adficit nervos et vasa sanguifera omnemque vegetationem erigit. Simili modo agunt: Radix Angelicae, Enulae, Valerianae sylv., Caryophyll., Arnica etc.

i) Narcoticorum quaedam principio acri ac propria sua vegetationem alterandi vi proficua in Arthritide evadunt. Laudantur: Aconitum, Colchicum autumnale, Conium maculatum, Prunus padus, Digitalis purpurea, Dulcamara etc.

k) Balnea, quae certe omnium primum obtinent locum. Effectus eorum salutaris patefit irritamento, quod exserunt in cutem, erigendo vasa capillaria, aperiendo poros, fovendo transpirationem, quo fit, ut unum colatoriorum primariorum munere suo bene fungatur. Adhibentur frigida et calida; priora augent

tonum fibrarum, et deprimunt adauctam sensilitatem; spectant huc: aquae Pyrmontanae, Driburgenses etc. Efficacia calidarum dependet ab irritamento in nervos cutaneos et aucta resorptione systematis lymphatici; hinc optime a sensilibus, constitutionis siccae perferuntur. Excellunt: thermae Aachenses, Badenses, Wisbadenses, Töplizenses, Carlsbadenses etc.

III. Quod tractamen singulorum paroxysmorum attinet, sequentia notasse sufficiat. Febris insultum arthriticum *normalem* concomitans tractanda est ut quaelibet febris inflammatoria, ea tamen cum cautela, ne venaesectionibus aut purgantibus omnis frangatur febris vigor, ne proinde inflammationes arthriticae in articulis formari impediantur, formatae turbentur aut plane repellantur; vel evacuationes criticae per sudores ac urinas exspectandae praevertantur, praesentes intercipiantur. Considerandi enim sunt paroxysmi, ut supra dictum fuit, qua crises seu molimina naturae medicatricis, processum morbosum hac parte eliminandi, quae si regulari suo decursu interrumpuntur, vel penitus supprimuntur, perniciosas minantur metastases in partes nobiliores. Quare artus dolentes inflammati quiete teneantur leniter tecti, et mitiore sub inflammatione stupa cannabina vel linea, vel strophio lineo bene siccato, calefacto obvoluti sicce foveantur, validiore autem inflammatione fomentis humidis emollientibus, vel cataplasmatibus tegantur. Sudor vaporosus universalis, alvus et urinae criticae ne turbentur, sed potius lenioribus diaphoreticis, eccoproticis et diureticis subleventur. Hocce sub tractamine si febris pedetentim decrescens denuo evanescit, articulorum phlogosis autem increscit, sollicite caveatur, ne phlo-

goses istae metastaticae in decursu turbentur. Inflammationes articulorum ubi vel debito segnius formantur, vel lentius resolvuntur, levibus membrorum frictionibus et motu cauto opus habent, absente tantum febre et cute non sudante extra lectum peragendo. Doloribus vehementibus opponere narcotica, Opio tamen vitato, conceditur, imo pro re nata requiritur,

Ubi vero insultus arthritici decursum *irregularem* faciunt, ubi nempe in articulis aut plane non, aut imperfecte solum et febre aequabiliter continuante evolvuntur, earumque in locum symptomata invasionis arthriticae in viscere quodam, e. g. cerebro, pulmonibus, ventriculo, organis uropoëticis sese produnt, causa talis anomaliae illico eruenda, congruo modo tollenda, simulque eo adlaborandum est, ut Arthritis ad articulos determinetur, legitime hic evolvatur perfecteque judicetur. Quo modo haec praestentur, quemadmodum, quomodo *Arthritis retrogressa* et *larvata* sint tractandae, ex principiis Therapiae generalis elucet.

IV. Saepe cum syphilide, saepius adhuc cum scrophulosi in connubio occurrit; porro scabies, scorbutus, scirrhus, carcinoma, morbi organici, habitus apoplecticus, phthisicus etc. illius complicationem sistunt. In his casibus indicatio valet vitalis: tollatur primo morbus periculosior, majorisque momenti, tractando illum secundum characterem, formam et extensionem, priusquam therapia instituatur morbi levioris.

V. Quodsi per therapiam institutam radicitus aut pro parte saltem morbum devicimus, reconvalescentia probe dirigenda est; nam brevi post morbum exantlatum magna remanet omnium partium atonia

cum nimia nervorum sensilitate, ita quidem, ut quicunque nocivus influxus facile recidivam priori multo perniciosiorem provocare valeat. Quare oportet nunc ad tonica, amara, adstringentia transgredi, semper vero habito respectu virium digestricium. Haec est prima conditio; secunda autem, sine qua nullum tractamen finem optatum assequetur, est: diaeta adaequata, justumque ex omni parte regimen.

## *Theses defendendae.*

I.

Anatomia medico id, quod geographia historiographo.

II.

Chemia organica adhucdum manca.

III.

In febribus exanthematicis sanguinis depletiones cauta nonnisi manu instituendae.

IV.

Cystotomia lateralis ceteris methodis praeferenda.

V.

Pulmones infantis aquae supranatantes absolute non evincunt, eam post partum vixisse.

VI.

Chronica artuum inflammatio rheumatica differt ab Arthritide.

VII.

Quo plura contra morbum quempiam laudantur remedia, eo majori sub ejus cura premimur egestate.

VIII.

Deligatio funiculi umbilicalis nequaquam superflua.

IX.

Aquae minerales artificiales naturalibus aequiparari non possunt.

X.

Centrum circulationis potius in pulmonibus, quam in corde quaerendum.

XI.

Tartarus emeticus in nevrosibus praestantissimum remedium.

XII.

Epikeratomia Hypokeratomiae praeferenda.

XIII.

In ossium fracturis quo rarius deligationem renovabis, eo citius securiusque sanabis.

XIV.

Optimus pelvimeter medici obstetricii manus.

XV.

Contra morbos haereditarios educatio justa optima prophylaxis.